DISSERTATIO

N° 98.

DE

PERITONITIDE PUERPERALI;

Quam in auld publicâ saluberrimæ Facultatis medicæ Parisinæ, die vigesimâ primâ mensis maii 1819. *propugnare conatus est*

JOANNES-BAPTISTA ALLIER, Marciniacensis,

(E Præfecturâ Araris et Ligeris)

E Litteris baccalaureus in academiâ divionensi; Socius emeritus societatis dictæ Instructionis medicæ, primo ordini Scholæ practicæ Facultatis medicinæ parisinæ adscriptus.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, et alsit.
HOR., de Arte poet. vers. 412.

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1819.

FACULTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

D. LEROUX, Decanus.
D. BOURDIER.
D. BOYER.
D. CHAUSSIER.
D. CORVISART.
D. DEYEUX.
D. DUBOIS, *Examinator.*
D. HALLÉ.
D. LALLEMENT.
D. PELLETAN.
D. PERCY, *Præses.*
D. PINEL.
D. RICHARD.
D. THILLAYE.
D. DES GENETTES, *Examinator.*
D. DUMÉRIL, *Examinator.*
D. DE JUSSIEU, *Examinator*
D. RICHERAND, *Examinator.*
D. VAUQUELIN.
D. DESORMEAUX.
D. DUPUYTREN.
D. MOREAU.
D. ROYER-COLLARD.
D. BÉCLARD.
D. MARJOLIN.
D. ORFILA.

Nono decembris mensis die, anno 1798, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

esse,

AVO,

DILECTISSIMIS PARENTIBUS,

AVUNCULO MEO

RAVIER DU MAGNY.

Hoc tentamen medicum

DICO ET VOVEO.

J. B. ALLIER.

DISSERTATIO

DE

PERITONITIDE PUERPERALI.

Dissertationem quamcumque medicam proferre coactus, quomodò et quâ de re illam perscriberem, perdiù dubitavi. Tremulo viam intranti quam maximâ cum gloriâ perlustrant illustrissimi professores hoc tentamen judicaturi, eorumque gressus titubando longè sequenti, aliquid quod typis mandari mereatur, producere, perdifficile esse ac fermè impossibile, semper mihi persuasum fuit; nihil enim novi, nihil ex me afferre possum; quæ in hâc scholâ saluberrimâ didici, quæ in auctoribus legi, digerendo, ut ita dicam, queo tantùm, quod fit quotidiè, cognita jamdudùm, tritaque etiam, novis verbis, novoque fortassè ordine, expromere.

At in magnâ copiâ rerum incertus, morbum tandem benè cognitum, omnibusque auctoribus recentibus accuratè descriptum, peritonitidem scilicet elegi puerperalem, quam simplicem primùm, dein cum febribus essentialibus complicatam, exarare conabor.

Sed quare hancce dissertationem latinè scripserim priùs dicere, quàm ad rem veniam, haud fortassè dedecebit. Multa namque candidatis, qui hâc linguâ usi sunt in thesibus, exprobrata fuêre. Sic instituuntur, fateor, ambitiosè compositisque verbis dissertationes,

quæ, si gallico sermone induerentur, in lucem proferri non sustinerent. Quæ quidem objectio, contra linguam latinam nulla, adversùs eos, qui, eâ, tanquam pigritiæ aut etiam imperitiæ velamento, abutuntur, tantùm valet. Quis autem linguæ quam per totum orbem homines loquuntur commoda negabit? Nonne per eam expressa fuêre præstantissima quæque tùm à veteribus, tùm à recentibus de arte medicâ nobis tradita? Sed hæc communia, aliaque similia de latini sermonis commodis disserere supervacaneum est; ad rem propero.

Quid sit febris puerperalis, an existat, hîc fortè expendendum priùs esset, quàm ad peritonitidis descriptionem veniam. Sed hæc quæstio, diù agitata, tandem resoluta planè atque indubitata remansit. Minimè existere febrem puerperalem, id est, adeò propriam puerperis, ut apud eas solas incidere queat; solummodò puerperam quibusdam morbis magis expositam esse ac si in alio quocumque statu physiologico versaretur; hosce autem morbos eosdem prorsùs esse ac si apud non puerperam evenirent, aut etiam apud virum, eis tantùm modificationem puerperium afferre, quemadmodùm dentitio, pubertas, mensium eruptio aut cessatio, morbos qui simul existunt, modificantur; indèque oriri varietates tantùm morborum, non autem genera nova; plerique medici fatentur hodiè.

Hanc verò quam in Nosographiâ philosophicâ profitetur doctissimus professor D. *Pinel*, eamdem priùs professi erant doctrinam multi auctores. Sic apud *Riviere* legitur : *Quod suprà de morbis acutis prægnantium diximus, id nunc de morbis acutis puerperarum possumus repetere, non aliam scilicet habere essentiam, aliamve diagnosim ac dùm non puerperas, ac etiam viros obsident.* Et apud *Stoll*, aphorismo 789 : *Hinc patet. . . . universim non esse specificam febrem puerperarum, sed eamdem cum regnante, modificatam solùm à puerperio*, etc., etc., aliaque sexcenta quæ undique excerpere possem : sed hæc sufficiunt.

Cùm autem non sit febris quæ essentialiter puerperalis dici possit, quænam igitur est natura morbi quem hoc nomine medici diù sa-

lutârunt ? Varii variam sententiam eâ de re emittunt auctores; sic alii febrem adynamicam aut ataxicam; alii, inter quos *Doulcet*, febrem biliosam; nonnulli inflammationem uteri; plerique, præsertim inter recentiores, inflammationem peritonæi esse contendunt. Qui verò omnes morbi, variis temporibus observati, eodem nomine generico, quia in iisdem circumstantiis extiterunt, donati fuêre; indè, inter se oppositi ac prorsùs dissimiles, ad unum eumdemque morbum relati sunt; indè error nominis; et, quod funestissimum, error in curandi methodo.

Nullum igitur morbum puerperalem dici posse; solummodò quorumdam morborum quasi prædispositionem puerperium fieri; hosce autem morbos variis remediis propugnandos esse, non autem uno atque eodem, quod tamen fieri deberet, si existeret febris puerperalis; constat hodiè atque patet.

Cùm autem inter morbos qui puerperas vexare solent, frequentissima simul ac periculosissima peritonitis sæviat, de eâ, quàm accuratissmè potero, absolvam.

Hâc in dissertatione, ex methodo analyticâ quam tanto cum successu ad ordinandos, describendosque morbos illustrissimus professor *Pinel* adhibuit, peritonitidem primò simplicem, dein cum variis febribus complicatam, expendere mihi mens est. Felicem si mei conatus titulo doctoris digni à meis judicibus reputentur!....

Peritonitis puerperalis simplex.

Peritonitidem definire solent plerique auctores : inflammatio peritonæi seu membranæ intestina circumvestientis; quem loquendi modum logici vocant *circulum vitiosum* : idem est enim ac si diceretur, peritonitis est peritonitis, quod absurdum foret. Morbus quicumque accuratè nunquàm definiri, sed tantùm quorumdam symptomatum propriorum, et, ut aiunt, *pathognomonicorum*,

enumeratione describi potest, quod sanè definitio appellari nequit. Illud apprimè sensit sapientissimus professor *Pinel*, qui nusquàm in immortali Nosographiâ philosophicâ morbum definire quæsivit, sed descriptiones accuratissimas verissimasque exaravit, quod factu difficillimum erat, maximique momenti. Nullâ ergo peritonitidis definitione propositâ, ad causas venio.

Causæ peritonitidis puerperalis in generales dividi possunt, atque peculiares.

Generales eæ sunt quæ peritonitidem apud non puerperam, aut etiam apud virum, generare possunt. Peculiares verò apud puerperas solas agere queunt.

Inter primas reponenda sunt : plethora, constitutio sanguinea, habitatio in locis depressis, frigidis, humidis, subita frigidi aëris, æstuante corpore, impressio, intemperantia, frequens ingurgitatio, alcoholicorum abusus, defatigatio labore nimio aut exercitatione aliâ ; hæmorrhagia, transpiratio, rheumatismus, herpes, aliudve exanthema, suppressa ; podagra ex inferioribus membris in abdominis viscera retropulsa ; violenta quæcumque animi pathemata.

Prætereà lapsus, verbera, vulnera in abdomine, hujusve partis compressio ; hernia incarcerata ; acria et irritantia in abdominis cavum effusa, ut urina, pus, stercora, etc.

Causæ puerperis propriæ sunt : gestatio ipsa quæ prædispositionem affert, partus longus, difficilis, laboriosus, abortus, cæsarea sectio, secundinarum imprudens ac violenta extractio, aqua frigidula, aliudve quodcumque astringens in abdomen applicatum ad hæmorrhagiam sistendam ; nimia irritabilitas atque sensibilitas quæ toto gestationis et puerperii tempore admodùm augentur ; errores in diætâ, maturior è lecto surrectio.

Lochiorum suppressio ac lactis secretionis cessatio tantùm post peritonitidis invasionem plerumquè observantur ; undè effectus tantùm, non autem causæ, habendæ sunt,

Peritonitis apud puerperas tertio aut quarto die post partum, aliquoties, rarò tamen, multò tardiùs, sævire incipit.

Invasio modò cita et improvisa, sæpiùs lenta, et quasi gradatim incedit. Eam præcedere solent lassitudo generalis, anxietas, anorexia; mox horripilationes vagæ, horrores erratici, vel totius corporis rigor, qui ad unum, duos, tresve dies protrahitur, aut nonnunquàm per irregularia intervalla plus minùsve longa renovatur. Succedunt calor nunc moderatus, nunc intensus; febris, ac brevì ventris dolor; tunc peritonitis incipit.

Symptomata.

1.° *Localia.* Dolor acutus, quasi lacerans, in quâcumque abdominis parte sedens, sæpiùs tamen in regione hypogastricâ, aliquoties intermittens, sed mox acerbior adstans, inspiratione, tussi, sternutatione, motu quocumque, stragulorum pondere vel levissimo, admodùm auctus, calor urens; abdomen tensum, tumefactum.

2.° *Generalia.* — *Ex digestione.* Lingua rubra aut albida, sicca, rarò humida; sitis magna; crebræ nauseæ; vomitus flavi aut virides; sæpè constipatio magna; aliàs, diarrhæa serosa cum tenesmo.

Ex circulatione. Pulsus frequens, parvus, strictus, vibrans; ægrâ ad mortem properante, intermittens, irregularis ac fermè insensibilis; febris continua, vesperè exacerbata; cutis aliquoties madida, plerumquè sicca, arida, urens.

Ex respiratione. Spiritus brevis ægrè trahitur; inspiratio præcipuè difficilis, sæpiùs repetita, costis tantùm effecta; tussis sicca atque profunda, singultus etiam, anxietas, animi deliquia.

Ex secretionibus. Transpiratio sæpè suppressa; lactis diminuta secretio ac etiam omninò cessata, mammarumque prolapsus, lo-

chiorum fluxus nullus ; urinæ rubræ ac raræ, intensissimâ inflammatione ; abundantiores autem, sedimentumque roseum deponentes, quandò morbus benè cessurus est.

Ex aliis functionibus. Decubitus resupinus, facies modò rubra, et, ut aiunt, *vultuosa ;* sæpiùs pallida, collapsa, sudore frigido obducta, sursùm et ad nasum tanquam retracta, quam rectè gallicè vocavit *face grippée* illustrissimus professor *Corvisart ;* oculi fœdi, illacrymantes ; sæpè quorumdam musculorum faciei, colli, aliarumve regionum convulsiones ; tendinum subsultus ; quibuscum simul agrypnia, cephalalgia, delirium, membrorum frigus, virium prostratio.

Peritonitis intra septem aut quatuordecim dies suum peragit cursum. Sed tamen haud infrequenter lentiùs incedens, ad unum et vigesimum diem, ac etiam ultrà, protrahi visa fuit. —Ut aliæ phlegmasiæ, terminatur :

1.° *Resolutione*, quintum intra et decimum diem, quandò leviora sunt symptomata, et citò medicina paratur. Tunc evacuationes criticæ sudoribus, alvi profluviis, urinis, lochiis, aut hæmorrhagiâ suppressâ ad primitivum fluxum redeunte ; symptomata simul minuuntur ; dolor sedatur, detumet abdomen ; in utroque latere ægra recumbere potest ; cessant singultus, nauseæ, vomitus ; fit pulsus plenior, minùsque præcipitatus, etc., quæque tandem functio ad naturalem ritum revertitur.

2.° *Suppuratione*, quandò symptomata eâdem cum vehementiâ ultra octavum vel nonum diem perseverant, cùm crisis aut nulla, aut imperfecta : hancce terminationem prænuntiant horripilationes, rigores, incommodi ponderis in abdomine sensu, febrilibus, parvis, humilibus et acceleratis pulsibus stipati ; sudor frigidus, pus in cavum abdominis effusum manu indagante agnosci potest.

3. *Gangrenâ*, quæ acutissimam intensissimamque peritonitidem plerumquè sequitur. Hujus autem signa sunt : symptomatum cessatio subita, cita acerbi doloris remissio : frigus, præsertim extremarum partium, intenso calori succedens; pulsus exilis, intermittens; facies pallida, plumbea; frigidus ac viscosus sudor; fecum liquidarum olidarumque secessus per alvum; anxietas ingens, stupor; delirium, frequentia animi deliquia. Simul ac sphacelo peritonæus correptus est, spes et serenitas redeunt, saluteque recuperatâ ægra gaudet. ... Mox autem hujusce mentitæ sanitatis mors comes....

4.° *Hydropisi.* Quam sæpiùs secum affert peritonitis chronica.

5.° Peritonitis puerperalis in chronicam degenerare potest. Tunc symptomata decimo quarto die circiter mitiora, in hoc statu manent; febricula, vespertina præsertim, ægram identidem vexat; dolor, si totus cessaverit, vel minimâ causâ redit, non tam intensus quidem; abdomen tumescit, renititurque; membra inferiora tument etiam; serum in abdomen effunditur; in consumptione ægræ moriuntur.

6.° *Morte*, quæ post terminationes delineatas crebra, ab inflammatione violentissimâ quoque pendere potest.

Autopsia. Sectis cadaveribus, varia pro vario morbi exitu observantur phænomena. Sic nonnunquàm peritonæus nullo modo læsus invenitur, cùm mors cita morbo acutissimo successit. Sæpiùs inflammationis vestigia manent, ruboreque inæquali, hîc roseo, illîc livido peritonæus maculatur; simul effusio liquidi quod modò pus verum est, modò serum in quo natant flocci albuminis, quod aliquoties præcipitatum, viscera inter se etiam vinculis cellulosis adhærentia, plus minùsve crassè induit. Si gangræna morbo finem imposuerit, materia effusa nigra est, fœtida; peritonæus lividus vel minimo tractu laceratur.

Prognosis. Peritonitis puerperarum, propter puerperium semper infausta, varium secum habet periculum pro symptomatibus, eorumque intensitate. Sic dolor maximus, virium prostratio magna, singultus, animi deliquia, facies pallida, tremula, sursùm retracta, diarrhæa cum meteorismo, mortem instantem prænuntiant. Spes contrà salutis, cùm apparent signa resolutionis, doloris, caloris, tumoris minutio; pulsus mollis, rarior; secretiones excretionesque priùs suppressæ, restitutæ; decubitus in utroque latere facilis, etc.

Curatio hygienica est, et pharmaceutica.

1.° Removenda insalubria quæcumque : temperies leviter calida et humida servanda; abdomen nullâ pressione fatigandum, strageisque levibus cooperiendum; diæta simul ægræ imponenda; quæ suppressæ sunt evacuationes, revocandæ; quies corpori et animo concilianda; pathemata quæcumque læta aut tristia vitanda.

2.° Curatio pharmaceutica varia pro morbi periodo esse debet.

Imminente adhuc peritonitide, optimè adhibentur remedia (revulsiva), quæ morbi quasi abortum provocare possunt; dantur quindecim ipecacuanhæ grana in duas partes divisa; simul propinatur potio emolliens, oleosa, in quâ miscentur hidro-sulfatis antimonii duo grana, seu opium, ex *Sydenhamo.* Alia adhuc revulsiva adhiberi possunt; sanguinis scilicet missiones locales, hirudines ad anum aut vulvam applicatæ; mammarum suctus catulis; partium ab addomine distantium, præcipuè membrorum inferiorum rubefactio; corpora frigida ut glacies, panni aquâ madidi, in abdomen applicata, ex methodo *Van Swieten* et *Sarcone.*

Cùm autem morbus jam invaserit, et ipecacuanhâ, et frigidis in abdomen applicationibus, abstinendum. Sanguis citò mittendus, sive è brachio, si ægra sit plethorica, inflammatioque intensissima, sive hirudinibus, si puerperaconstitutionis lymphaticæ hemorrhagiâ antecedenti aliâve causâ debilitata fuerit. Simul potus mucilaginosi, modici tamen, ægræ propinandi, ut serum

lactis, aqua hordacea, vitulina, cum gummi arabico; ingerenda quoque clysmata tepida; applicanda emollientia et aliquoties narcotica in abdomen.

Huic curandi methodo quædam afferuntur modificationes ex symptomatibus intensissimis. Sic vomitus creber, peritonæi minutâ inflammatione, minimè minutus, narcoticis propugnandus, syrupo papaveris, opio gommoso in potione mucilaginosâ soluto, radice colombo, acidi carbonis productione in ventriculo. Constipatio purgativis laxativis vincitur. Diarrhææ opponuntur colombo, opium, ipecacuanha, potus aciduli, rhabarbarum. Dolores vehementissimi cedunt opio sive intùs dato, sive extùs applicato cum camphorâ, quod summâ cum cautelâ tamen fieri debet.

Vergente morbo, varia præbentur remedia pro vario exitu. Si resolutionis spes affulgeat, secretionibus criticis favendum. Paracentesis operatio, post suppurationem proposita, rejicienda. Tunc, sicut post gangrænam, danda tonica, cortex peruvianus, etc.

Peritonitidis puerperalis complicatio cum febre angiotenicâ.

Hæcce complicatio, omnium rarissima propter sanguinis effusiones antecedentes, aliasque debilitatis causas quibus puerpera obnoxia fuit, apud plethoricas mulieres tantùm, tempore sicco et frigido observatur.

Ejus symptomata sunt: cephalalgia ingens; facies rubra, turgida; pulsus fortis, plenus, celer; lingua sicca, rubra aut albida; abdominis dolores acerbiores.

Curatio tota antiphlogistica esse debet. *Remedium est sanguinem mittere* (*Celsus*), quod non jàm hirudinibus tantùm, sed largis repetitisque venæ sectionibus, agendum est. Omni cibo ægra abstinere debet; potus diluentes tantùm propinandi.

Complicatio cum febre meningo-gastricâ.

Hæc febris peritonitidem puerperalem frequentissima complicat, præcipuè per æstatem, in nosocomiis, in locis depressis et humidis, ubi tunc epidemica fit.

Istam complicationem insigniunt symptomata febris biliosæ, qualia : cibi fastidium, os amarulentum ; lingua flava vel albida ; nauseæ, vomitus materiæ flavæ aut viridis; alvi dejectio parca, fœtida ; urina spumea, pinguis ; cephalalgia frontalis, etc.

Difficilis autem nonnunquàm est hujusce complicationis diagnosis. Nauseæ enim, vomitus, peritonitide ipsâ, nephritide, aut etiam puerperæ exaltatione nervosâ produci, et tunc febris biliosæ symptomata ab incautis haberi possunt, undè sanè funestissima curandi methodus induceretur. Attamen, adesse complicationem biliosam meritò concluditur, cùm simul observantur cephalalgia frontalis ; lingua flava, quasi bysso induta ; pulsus plenus et celer; faciei totiusque corporis color flavescens.

Hic methodus dicta *de Doulcet* adhibenda ; vomitus ipecacuanhâ ciendus ; dandi potus frigiduli, aciduli; sanguis parcè et hirudinibus tantùm mittendus.

Complicatio cum febre adeno-meningeâ.

Huic complicationi favent constitutio lymphatica quæ gestatione adhuc aucta fuisse videtur ; aër calidus aut frigidus, simulque humidus, inopia, cibus vapidus, glutinosus.

Symptomata. Horrores vagi, gravitatis sensus in hypochondriis, cephalalgia obtusa, lingua alba, muco glutinoso obsita, aphtharum eruptio ad labia, gingivas, linguam; calor minor; pulsus moderatus; peritonitis symptomata mitiora, incessusque lentior, sed aliquoties insidiosus.

Curatio. Invadente morbo, emetica, præcipuè ipecacuanha, adhibenda, quæ complicationi mucosæ destruendæ idonea, simul abortum peritonitidis producere possunt. Purgativis parcè utendum; inter salina et tonica seligenda sunt.

Complicatio cum febre adynamicâ.

Illius complicationis causæ sunt : aër calidus et humidus, miasmate contagiove inquinatus, victus insalubris, sanguinis missio plus æquo repetita, mœror, tristitia, timor.

Adynamiam esse non credendum est quotiescumque apud puerperas existunt debilitas maxima, prostratio, decubitus resupinus; pulsus parvus, celer. Hæc enim symptomata febri adynamicæ, inflammationibusque abdominalibus communia sunt; hæc autem adynamiæ pathognomonica : facici pallor, collapsus; dentes fuliginosi; lingua spurca, sicca, crustâ nigrâ, crassâ, obsita, aliquoties tremula, porrigi impotens; alvus fœtida, involuntaria; rubræ aut lividæ cutis maculæ, lenticularum instar; sensuum hebetudo.

Hic verò curatio difficillima; tunc enim sunt simul propugnandi duo morbi inter se oppositi. Quomodò autem antiphlogistica cum tonicis rectè componere? Attamen suadent auctores tonica primùm tenuiora adhibere, qualia potus aciduli, aqua hordacea cui vini aut aceti paululùm additur; limoniorum succi aquâ excepti. Sanguis simul parcè mittendus; vesicantia duplex secum habent commodum, vires scilicet erigendi, excitando; inflammationemque moderandi, ad irritationem aliàm sanguinem accersendo. Inflammatione sedatâ, ad tonica validiora recurrendum, scilicet corticem peruvianum, alcohol, camphoram, etc.

Complicatio cum febre ataxicâ.

Istius complicationis, omnium gravissimæ, causæ sunt: exquisita sensibilitas aut irritabilitas, debilitas maxima, tristia animi pathemata. Eam significant singultus, convulsiones, tendinum subsultus, pulsus irregularis, modò citus, modò lentus, caloris, omniumque functionum anomalia. Adhibeantur oportet remedia dicta *antispasmodica*, quæ tamen cautè, inflammatione adhuc vigente, præbenda sunt.

HIPPOCRATIS APHORISMI

(*Edente* PARISET).

I.

Ad extremos morbos, extrema remedia exquisitè optima. *Sect.* 1, *aph.* 6.

II.

Cùm morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuissimo victu uti necesse est. *Ibid.*, *aph.* 8.

III.

Morborum acutorum non omninò tutæ sunt prædictiones, neque mortis, neque sanitatis. *Sect.* 2, *aph.* 19.

IV.

Incipientibus morbis, si quid movendum videatur, move; vigentibus verò, quiescere melius est. *Ibid.*, *aph.* 29.

V.

Sed et, si quid doluerit ante morbum, ibi se figit morbus. *Sect.* 4, *aph.* 33.

VI.

A dolore vehementi partium circa ventrem extremarum frigus, malum. *Ibid.*, *aph.* 26.